



**B**erchtoldus in Heluetia honestis parentibus natus est anno 1492. Is cum literarum rudimenta in partia didicisset, sese ad varias Germaniæ academias cōtulit, atq; in primis Colonię Theologię operā dedit. Itaq; cum plurimū proficeret, eius facultatis Baccalaureus creatus fuit. postea in patriam redijt, & Bernæ canonicus electus est. Cum aut is pietate & doctrina reliquos eius loci sacerdotes superaret, atq; præclara facundia insignis esset, eius quoq; Ecclesiæ concionator constituitur. Eotempore Huldricus Zuuinglius Euangelij doctrinam apud Heluetios spargebat. Itaq; cum Berchtoldus eam intelligeret, sese huic doctrinæ con-

iuaxit, atq; aduersarios publicè & priuatim confutauit. Cum itaq; 1526 Badenis in publico Heluetiorū conuentu disputatio indicta esset, atq; Zuuinglius ob aliquorum insidias se Tiguri contineret, Berchtoldus ille comparuit, atq; cum Ioanne Eckio insigni Theologo egregiè disputauit. Sequenti quoq; anno in disputatione Bernensi cum Francisco Kolbio præsedit, atq; cum paucis alijs effecit, ut religionis mutatio in ea repub. susciperetur. Cum hoc modo in magna existimatione esset, atq; in ea Ecclesia omnia ritè ordinasset, anno ætatis 44, salutis uerò 1536 immatura morte obiit, & omnibus magnum sui desiderium reliquit. Anon.